

Ex Bibliotheca
Paroissialis H. Francisci

SUPPEDITATA

1284

A.D.

HISTORIAM
LITTERARIAM
MORAVIAE

EDIDIT


JOSEPHUS WRATISLAUS
MONSE,
SS. CANONUM ET JURIS PUBLICI IN
UNIVERSITATE OLOMUCENSI
PROFESSOR.



OLOMUCHI MORAVORUM,
TYPIS JOSEPHAE HIRNLIANE, FACTORE JOSEPHO
FRANCISCO LOSERTH.

Vixere fortis ante Agamemnona
Multi, sed omnes illachrimabiles
Urgentur, ignotique longa
Nocte, carent quia Vate sacro.

Horat.



PRÆFATIO.

Solent, qui edunt opuscula, mox in limine propositi sui rationem expōnere, ut se aut lectoribus probent, aut, quid e vestigio sequatur, digito quasi ostendant. Quod quum nihil habet turpitudinis, non est, cur de via adeo trita declinem.

Vir græce & latine doctissimus, Quirinus Kralowetzky e Scholis Piis, Bibliothecæ Episcopalis, quæ Cremserii est, Præfector, pro ea, quæ inter nos est, litterarum necessitudine, bina Strzedovskii fragmenta, ejusdem manu exarata, mēcum communicavit. Alterum Scriptores Moraviæ nonnullos continet, sciographiam quandam

mo-

monumentorum alterum. Illi notulas aliquot, & Mantissam, fontibus, unde hausī, ubique diligenter laudatis, addidi; huic brevem itidem appendiculam, ad famem magis prioritandam, quam vero compescendam adjeci.

Neque me quis reprehendendum existimet, si forte quosdam minus in censum cogendos fuisse judicaverit, præteritis interim iis, qui statuam meruerunt. Non enim mihi circulos Strzedovskii turbare licuit, neque, quod quidem dolenter fero, plurium scripta, quibus litteras nostras ornarunt, ad cognitionem meam pervenire. Accedit, quod temporis angustiae, & metus sumptuum, quibus Perill. D. Defendantem, cuius ære hic conatus prodit, gravare nolui, preserent adeo, ut, ne quidem partum aut a censura prolixis animadversiōnibus vindicare.

Mo-

Moraviam, TURZONIANO seculo Musarum domicilium deprehendisse, præmium laboris erat, homini patriæ alioquin studiosissimo. Quæ enim voluptas beatæ patriæ anteponenda? sed fuimus Troes!

Reditura autem hæc in Moraviam aurea litterarum secula, bene sperare jubent saluberrima MAGNÆ THERESIÆ Scholarum instituta, quæ ingentibus supremi in provincia Regii Consistorii conatibus, & laudatissimis Procerum favoribus adjuvantur.

Alit non minus spem jucundissimam, excitatus in hæc studia Popularium ardor, qui patriis litteris accensi, progressum ad cetera disciplinarum genera meditantur. Invitus certe a laudibus memorati Quirini, ob singularem Viri modestiam, abstineo, qui multa præclara litterarum nostrarum ornamenta in sinu fovet. Nobilis item Adolescens de Cronthal insignia &

& imagines Nobilitatis Moravicae colligit. In eruditissimo Rayhradensium Benedictinorum Cænobio non modo summo litteris Moravicis commodo *Elenchus Piterianus*, sed & ipsum opus, nempe *Monasticon Moraviae diplomaticum adū continuatur*, suppletur, & in eum ordinem redigitur, ut quam primum typis mandari valeat; porro Bohemia sequetur *Benedictina*, tum *Moravia medii Āvi. &c.* Cl. D. Josephus Zlobitzky litterarum Slavicarum Vindobonæ Professor Topographiam Moraviæ adornat. &c. &c.

De Marchionatus Moraviae origine & primo ejus Marchione, magno, ut solet, eruditionis criticæ apparatu differuit nuper Gelasius Dobner, expurgandis quisquiliis, & restituendæ suo nitori historiæ natus, artis criticæ & diplomaticæ facile princeps. Difficile quidem est non laudare, per quos profeceris. Ast ob præfixos brevitatis limites in campum adeo vastum excurrere non licet. Fon-

tes

tes certe, qui rerum Moravicarum cognitionem haurire cupiunt, a doctissimis Bohemiæ Scriptoribus referatos præterire non possunt, ceu e singulis hujus speciminis capitibus licet animadvertere. Viros igitur, quos in Tabula Juris Publici Moraviae anno superiore laudavi, Adauctum nempe Voigt, & Franciscum Pelzel, tanquam hujus instituti auctores, repetita beneficii memoria oportet colere, voluptatique Popularium nostrorum suggerere, ut Effigies ac Vitarum enarrationes Eruditorum & artificum Bohemiæ & Moraviæ, quarum Tomi jam tres prodiyere, & porro a Pelzelio continuantur, latius divulgentur. Cui quidem proposito exemplarium copiam æqui admodum pretii procuravi.


Denique ab his suavissimis studiis ne quidem illud Epiſteti: *Sapientiae studium fuscipere cupis? statim te para, quasi futurum sit, ut dexit earis, * me potuit detergere, qui sine solida Philosophiae & Historiæ cognitione vanos in reliquis*

quis disciplinis progressus, viam autem per patrias litteras ad cetera scientiarum capita, si non sterni, accendi certe, & porro studium illud a bono cive patriæ deberi, semper existimavi, ut pristinus litterarum honos & splendor in patriam postliminio re-deat, scientiæque suum iterum aliquando pretium consequantur, cum ex gravissimi Politici sententia, sub-latis studiorum pretiis, etiam studia ipsa sint peritura. **



Jo-

* Epist. in Enchirid. C. 29.
** Tacit. Annal. L. XI. C. 7.



Joannis Georgii Strzedovsky
Pawlovicji supra fluvium Becz-
vam Parochi.

Scriptores & Eruditi Moraviae.



Adalbertus de Pernstein, Moravus Baro Crumloviensis, scrip-tor historicus, obiit An. 1534.
die 17. Martii.

Adalbertus Junior de Pernstein, superioris ex fratre nepos, Moravus, scriptor controversiarum, obiit 17. Julii 1561. *

Adalbertus Martinides, vulgo Machovs-th/ Moravus Sczitnenfis, S. I. edidit librum de quatuor novissimis 1672. obiit 1687.

B *Adol-*
* P. II. in præf. p. XXII. Effigierum & Vitarum
Erudit. Boh. & Mor.

Adolphus a S. Georgio Scholarum Piarum Professus, Cremstiensis Moravus, contra Judæorum perfidiam edidit librum an. 1709. (1)

Albicus seu *Adalbertus*, Moravus Unczoviensis, Archi-Episcopus Pragensis, scripsit Medicinalia, & obiit 23. Julii 1427. (2)

Alexander Schamsky, Moravus Miloticensis, Medicinæ Doctor Olomucensis, edidit tractatum de peste, obiit Pragæ 1710. (3)

An-

(1) *Georgius Groll*, in saeculo datus; natus Cremstiensis an. 1681, tenui quidem parentum fortuna, sed tanta ingenii felicitate ornatus, ut editis præclaris scientie sua monumentis, variisque in suo etatu muneribus communi ad plausu defunctus, Episcopus fieret Jaurinensis in Hungaria. Obiit Jaurini 24. Novemb. 1743, cuius vitam & labores litterarios descripsit cum icone ejusdem æri incisa P. Adauetus Voigt e Scholis piis inter Effigies Virorum Eruditorum atque Artificum Bohemiae & Moraviae P. II. pag. 57.

(2) In mox citato opere Effig. Eruditorum P. II. p. 82, ubi vita Albici una cum ejusdem imagine fistitur, vocatur *Sigismundus Albik*, natus Unczovii urbe Moravia regia, vulgo Mährisch Neustadt. Academiam Pragensem singulari rei medicæ scientia ornavit, quam ibi docuit publice, unde ad fastigium Ecclesiæ Pragensis elevatus est.

(3) Descripsit præterea virtutem aquæ Slatenicensis in pago Dynastia Plumlovensis, cuius salutari balneo plures valetudinem repararunt. Opusculum hoc adhuc ineditum, extat in Archivo Plum-

Andreas Schwartz, Decanus Holeschoviensis, Moravus, conscripsit Moraviæ Rùbinum, & operi immortuus an. 1699. die 1. Januarii.

Augustinus Käsenbrot, Moravus Olomucensis, & ibidem ac Brunæ Præpositus, editi Catalogum Episcoporum Olomucensium, & alia opera controversialistica. Obiit 1513. (4)

B 2

Au-

loviensi. Vitæ enarrationem cum icone Medicis istius Olomucensis exhibebit P. IV. aut V. Eruditiorum Bohemiae & Moraviae cit. que a D. Pelzel continuatur.

(4) *Augustinus Moravus*, *Augustinus Olomucensis*, Augustinus Præpositus nominatur passim, gloria eruditæ Moravia merito appelandus; qui non Jurisprudentiæ modo, sed litterarum etiam ameniorum incrementa per Moraviam, Bohemiæ, & Hungariam promovit, Regique Wladislao ab epistolis secretis fidem & dexteritatem præstítit cumulatissime. Amicis usus viris ea estate doctilis simis Torzone, Lobkowitzio ab Hassenstein, Andrea Stiborio, aliis. Celebrat eximii hujus Eruditæ merita Jöh. Gotlob Boehmius in Commentarij de Augustino Olomucensi, & patera ejus aurea in Nummophylacio Dresdensi adservata. Dresdæ & Lips. 1758. Non possum non ex diviti Boehmij penu graha saltim aliquot hue adferre, qui C. I. de statu literarym ævo Augistini, qui s. c. XV. & ad initium sequentis vixit, tam magnifice testatur: *Erat autem Moravia - - jam tum opulenta viris non Pontificio solum Jure, ut olim madentibus, sed qui optimparum artium adfis-*

Augustinus a S. Josepho Piarum Scholarum, Moravus Hustopeccensis seu Auspicensis, edidit Metamorphosim Geometricam; an. 1690. (5)

B.

Bernardus a S. Philippo Nerio Scholarum Piarum per Germaniam & Hungariam Praepositus Provincialis, Moravus Straznicensis, in saeculo Partlicius cognominatus, compilavit sui Ordinis annales.

Bo

duo cultu, longe aliud sibi ingenium induerant. - Itaque Olomucium caput tum maxime celebrari politioribus studiis, hominibusque florere prorsus eorum peritia instructis. Ne prolixiori adnotatione limites transiliam, id solum addo, jam tum Societatem Litterariam in Moravia floruisse; primordia igitur cætum Eruditorum non modo in orbe Austriaco, sed præ ceteris etiam regionibus Germaniæ, Moraviæ deberi. Annum, quo cum Musæ luxere, Boehmius notavit MDX. Vide etiam Paprocky Spec. Moraviæ fol. CCXXXI. (5) Disciplinis Mathematicis dedit virum hunc Moravia an. 1646. Vitam & faciem inspice in cit. Effig. Erudit. Bohemiæ & Moraviæ P. II. pag. 63. Opera recensuit P. Adolphus Voigt in Actis litterariis Bohemiæ & Moraviæ Vol. I. P. II. N. VII. Cum anno 1716. paulo ante mortem epistolam Leibnitii ad eum pervenisse scribat Aduetus, facilis conjectura licet assequi eum anno isto 15. Augusti obiisse.

Bobuslaus Baro Haffensteinius a Lobkowitz, nominatus Episcopus Olomucensis, cuius Poetica & Oratoria habentur opera. Obiit 1510. 13. Novemb. (6)

Bonaventura a S. Catharina, Piarum Scholarum, Nicolspurgensis Collegii Vice Rector, edidit tractatum de Messiae adventu an. 1709.

Burianus Baro Moravus de Kornitz, vertit Chron. Joannis Carion e latino in Moravicum an. 1539.

C.

Carolus IV. Imperator, ante adeptam coronam, Moraviæ Marchio, conscripsit suæ vitæ Marchionalis diarium an. 1363. (7)

Carolus Ferdinandus Eques a Schertz, a scriptis editis orbi litterario per quam

B 3 no-

(6) Ne notarum loco elogia nostris texere videar, integrum est lectori cit. Effig. Erudit. Bohem. & Moraviæ P. I. pag. 16. tum cit. Boehmii comment. Iustrare, unde ampliorem notitiam de Viro hoc eruditissimo haurire licet.

(7) Plurima de gloriosissimo hoc scholarum & litterarum fundatore & restauratore prostant monumenta; summo etiam jure locum inter Erudit. Bohem. & Mor. P. I. primum promeritus. Augustum posteris ad litteras incitamentum. Regimen illius Moravicum singulari filio describet D. Pelzel.

notus, hodie dum vivit, & utinam diu vivat. (8)

Christianus Hirschmentzel Vellehradensis Cisterci Profeſſus, cuius multa habentur opera, obiit 1703. (9)

Christophorus Holland, Pruthenus Brunspergenſis, Juris utriusque Olomucii Profefſor, edidit methodum concinne loquendi an. 1692. & Commentationem in Libros quatuor Institutionum Imperialium an. 1712.

Ctiborius de Cymburg, Moravia Capitanus, compilavit leges Moraviae circa annum 1481. & obiit 1494. (10)

(8) Edidit an. 1699. *Mährisches Landeswappen Norimbergæ*, & de Magia postuma Olomucii opusculum an. 1700

(9) Scripta illius necdum prelo emissa sunt, ad quæ Stredowskiſus ſepiuſ quidem provocat, ſed ea licet impensa diligenti opera videre non potui.

(10) In plurium manibus versatur Ctiborii ſeu Tiburtii de Cymburg Codex Towaczovienſis Domini ſub titulo *Knjžha Towacowſká*, lingua Moravica conſcriptus, necdum tamen typis evulgatus, quem in cit. Actis litterar. Boh. & Morav. Vol. I. pag. 153. seq. & 310. seq. recenſuit Adauetus Voigt. Laudem non vulgarem illi tribuit Paprocky in ſpeculo Moraviae fol. XXVI. obiit anno 1494. die 6. Junii. Refert tamen Reiffenſtuel in Topographia Moraviae, Prothafium Episcopum Olomucensem Jura & consuetudines Moraviae collegiſſe, atque ita auctorem hujus voluminis Towaczovienſis fuiffe.

S. *Cyrillus* Moraviae Apoſtolus edidit contra Photium Apologos, & alia e græco & latino vertit in idioma Moravicū. Obiit 9. Martii an. 873. (11)

D.

Dalimil Moravus Mezerzicensis, Canonicus Vetero Boleslavie, ſcripſit Chronicon Boleslavienſe; vixit ſub Joanne Rege Bohemiae (12)

Daniel Joannides, Silesius Skoczovienſis, Picardus in Paristov & Hlinsko Curio, edidit conciones funebres ano. 1619.

Daniel Stregcius, ſubinde Vetterus, Moravus, Picardorum Conſenior, descripſit historiam Islandie, quam ipſe cum Mofavo Salmonē luſtravit, vixit ſeculo 17.

E.

Erasmus Rudingerus, Moravus Eivancicicensis, a fide Catholica alienus, edidit Paraphraſim ſuper Psalmos Gerlicii anno 1582. impressam.

Ezechiel Pautſchner, Moravus Olomucensis, Imperatricis Mariae Medicus, ſcripſit

B 4

(11) Vitam hujus Sancti Moraviae Apoſtoli in S. Moraviae historia edidit Strzedovsky Solisbaci an. 1710.

(12) Chronicon Dalemili recenſuit ſepe laudatus Voigt in Actis litterariis Boh. & Moraviae Volum. I. pag. 1. seq. & 286.

fit tractatum de Peste, secundo Olomucii editum 1680.

F.

Eelix Kadlinsky S. I. in collegio Hradischtiensi, scripsit Asceticum libellum de dolorosa B. V. Olomucii impressum 1666.

Ferdinandus Czadecky de Chotieffov, Moravus Brunensis, Zabrdovicci Canonicus Præmonstr. Mathematicus, cæpit edere moravice calendaria Brunensia an. 1710.

Franciscus Cardinalis a Ditrichstein, Episcopus Olomucensis, cuius conciones separatim typis vulgatae habentur, dein editit controversiam, & obiit 1636. (13.)

P. Franciscus Ord. Capucinorum in Moravia, incubuit versioni Bibliorum auctioritate Rom. & Cardinalis Ditrichsteinii circa an. 1634. videtur opus abruptum morte Ditrichsteinii.

Franciscus Falbert Ord. Minor. S. Francisci de Paula Conventus Wranoviensis su-

pe-

(13) Gloriosa celeberrimi hujus Pastoris & Moraviae Capitanei facinora omnes fere scriptores, etiam extranei, qui res Moraviae attingunt, summis extollunt laudibus; non potest enim virtus non laudari; Olomucium & tota pene provincia insignia illius meritorum vestigia quotidie spectat. Unam solum ejus epistolam pastoralem retulit Fasseau in Collect. Synodorum & Statutorum Diœcesis Olomucenæ.

perior, edidit historiam Wranoviensis Thaumaturgæ typis Vien: an. 1652.

Franciscus Kampenger e S. I. Moravus Olomucensis, ibidemque Universitatis Cancelarius, habentur Theologica illius opera, obiit circa an. 1698.

Franciscus Moravus, Pragæ famosus Jurisconsultus & eruditio[n]is promotor. Obiit 4. Febr. 1541. (14)

G.

Georgius Pontanus a Breitenberg, Canonicus Olomucensis, & Præp. Pragæ compilavit Bohemiam piam, & Bibliothecam Concionum, obiit 1614. die 20. Febr. (15)

(14) In Balbini Bohemia docta opere posthumo a Raphaele Ungar edito pag. 41. ita hujus virti memoria celebratur: *Fundatio Græca lectionis: Joannes Francus de Regio monte f. U. D. natus Olomucii pro lectione græca homericæ Iliadæ 2000. fl. Magistris Pragænibus affiguavit.* Idem testatur Crugierius in Sacr. Pulver. ad 4. Feb. cui accedit Adauctus Voigt in Actis liter. Boh. & Morav. Vol. I. p. 276. & in Effig. Eruditorum P. I. præf. pag. XXXIV. quem munificum in Academiam Pragensem, & natum Olomucii communis calculo tradunt. Non igitur Franciscum de Regio monte, sed de Julio monte appellandum censerem, cum Olomucium persæpe Juliomontium, aut Julii mons in monumentis yetutioribus nominetur.

(15) Vitæ enarrationem cum effigie exhibet P. II. p. 221 cit. Erudit. Boh. & Mor.

Georgius Zialkowsky Eques de Zialkowitz edidit vitam V. Sarcandri latine an. 1689. & germanice 1702.

Georgius Franciscus Zdaniz, nunc Parochus Schwabenicensis ab editis poeticis opusculis Moraviæ notus.

Georgius Stregius, Moravus, Consenior Picardita, scripsit suæ seccæ confessio-nem, & editionem bibliorum adjuvit; obiit Zidlochovicii 25. Februarii 1599.

Georgius Lætus, Moravus Rossiensis, Pastor Picardita, scripsit Pauli peregrina-tionem Cæsarea Romanam, & alia sui fermenti; obiit 27. Mart. 1649.

Georgius Israel, Moravus Hunnobro-densis, Pastor Picardita, scripsit historiam de origine suorum in regno Poloniæ; obiit Lipnicii 8. Julii 1588.

Georgius Franko Moravus Sternber-genesis, in Silezia Pastor Lutheranus, præ-ter conciones scripsit rerum Münsterber-genium diarium; obiit 1550.

Godefridus Stirzenvager, Hradischtiensis Decanus, edidit conciones panegyricas de SS. Cyrillo & Methudio an. 1675.

Godefridus Bilowsky, Parochus Lito-vicensis, edidit Sapphico carmine vitam V. Sarcandri, an. 1703. dein & alia.

Gregorius Francisci, S. I. Collegii Cremfiriensis, compilavit Elogia Episco-po-

porum Olomucensium, quæ ignis svecicus corripuit. 1643. (16)

J.

Jacobus Jöpfen, Medicinæ Doctor, Iglaviensis Physicus, edidit Isagogen ad vi-tam longiorem.

Jacobus Erbsmann, Canonic. Regular. Fulnecensis, descripsit incendium Montis Præmonstrati 1706.

Jacobus Petroselinus, Moravus Kunsta-diensis, Pastor Trzebiczenis, confessionis Helveticæ, scripsit postillam super episto-lam Domini; obiit Wratislaviæ 14. Octob. 1633.

Ignatius Radachla, Moravus, Medi-ci-næ Doctor, edidit tractatum de acidulis 1673.

Innocentius a S. Clemente, Moravus Hu-stopeczensis, Piarum Scholarum, edidit ad initium hujus seculi tractatum de passione domini.

Joannes Dubravius, Episcopus Olomu-censis, Historiæ Bohemiæ scriptor; obiit 1558. (17)

(16) Collegium Jesuitarum Cremfiri extitisse, deinceps ob causas Hradischium fuisse trans-latum, testis est Strzedowsky in sacra Moraviæ Historia pag. 605. & Cruger ad 4. Feb.

(17) Facies hujus eruditissimi Episcopi cum justa vita enarratione exhibetur in P. II. pag. 1. sa-pe memorati operis Eruditorum Boh. & Moraviæ.

Joannes Militius, Moravus Cremstiensis, Archidiaconus Pragensis, multa scripsit, & sancte obiit Romæ, 29. Junii 1379. (18) Vide Balbini miscellanea Decad. I. pag. 64.

Joannes Grodecky de Brodis, Episcopus Olomucensis, vitam S. Cyrilli e græco vertit in latinum, obiit 1574. (19)

Joannes Boscius S. I. Seminarii Hradischtiensis Regens vulgavit precatorium libellum: *Rhyta Mirhová* an. 1670.

Joannes Gevitzky, cognomine Czerny, Civis Zabrzezenis, Hohenstadt, edidit Medicinalia. 1559. (20)

Joannes Miroticky, Civis Cremstiensis, Aubanum e latino vertit in idioma patrum. 1579.

Joannes Ctiborius Kotva de Freifeld, Canonicus Olomucensis, & Brunensis, contra

(18) Vir hic discipline Christianæ Zelosissimus, mores etiam quorundam Clericorum corruptos acerrime infectatus, graves malorum tulit persecutions; cuius doctrinam cum singulari pietate conjunctam, fataque descriptis Voigt in Actis liter. Boh. & Mor. Vol. I. pag. 216.

(19) Vide Cruger. Sacri Pulveres ad 6. Januarii, & Catalog. Ep. Olomucensium passim.

(20) Occurrunt quidem in monumentis veterum vestigia Joannis Nigri Moravi, quem tamen ob gratis & professionis discrimen cum Joanne Gevitzky eundem facere nolim.

tra sectatores edidit libellum *Muntrage* dictum an. 1615. (21)

Joannes a S. Magdalena, Moravus Cremstiensis, Piarum Scholarum, dein Cremstii ad S. Mauritium Vicarius, demum Prizborii, Freyberg/ altarista, typis edidit librum de Origine & progressu Piarum Scholarum, & vita V. Glycerii. (22)

Joannes Hertod a Tottenfeld, Moravus, Medicinæ Doctor Brunensis, dein Olomucii Physicus, edidit Tartaro - Maftygem Moraviæ 1669. Chronologiam & opus mirificum sexta diei. (23)

Joannes Noftitzius ab Helicon, Regiæ Civitatis Hradischtiensis Judex, edidit Gallicinium Catholicum an. 1680. & 1682 atque 1691. recudit, aliisque operibus immortuus 1706.

Joannes Wolcker S. I. Olomucii Philosophiæ Professor edidit doctrinam Ethicam. 1698.

Jo-

(21) Diversus itidem a Stiborio Canonicus Augustini Olomucensis coxvo.

(22) Series Eruditorum doctissimi Scholarum Piarum cætus, certe numerum hujus Catalogi superaret, si eorum modestia pateretur singulos in tabulas referre.

(23) Multa continet ad pernoscendam Moraviæ topographiam hic Tartaromastix,

Joannes Kugler, S. I. Olomucii Theologiae Doctor, edidit erism Theologicam 1701. tractatum de sponsalibus 1705. (24)

Joannes a S. Felice, Ordinis SS. Trinitatis, Moravus Nicolspurgensis, edidit vitam S. Joannis & S. Felicis an. 1707.

Joannes Bohuslaus, Moravus Preroviensis, Picarditarum Pastor, scripsit historiam de ortu & progreffu suæ sectæ, obiit Crumlovia 24. Novemb. 1571.

Joannes Amos Comenius, Moravus Comenensis, a litteris & libris orbi notus. (25)

Joannes Capito Picarditarum Pastor, scripsit conciones analyticas, obiit Trzebiczz. 1589.

Joannes Crüciger, Picarditarum Pastor Eivanczicci, scripsit conciones analyticas, obiit ibidem 1612.

Joannes Heidericus, vulgo Heidenreich, Lutheranus Iglaviensis Pastor, scripsit contra Picarditas, & obiit 2. Mart. 1592.

Jo-

(24) Doctorum fercissima Societas etiam complures apud nos protulit, quorum libri editi vix in numerum cogi possunt; habemus enim opera Francisci Wolff, Tesanek, Pawlik, Polzer, &c. &c. Kugler fuit Cancellarius Universitatis, cuius imago in Aula Universitatis est depicta.

(25) Inter Eruditos altioris subsellii locum viro huic competere, vix quispiam in dubium vocaverit, qui merita ejus litteraria legerit in cit. P. I. pag. 89. Erudit. Boh. & Moravia.

Joannes Lætus, Moravus Rossicenis, Picarditarum Pastor, scripsit compendium historiæ universalis Civilis & Ecclesiasticæ ab Augusto ad annum 1640. Lugduni Batav. 1643. editum.

Joannes Niemczansky, Moravus Hunnobrodenis, Picarditarum Drzevohosticij Pastor, novum testamentum fermento suo expolivit, obiit Drzevohosticij 1598.

Joannes Bielins, vulgo Příhoda, Moravus Straznicensis, edidit Syncharisticon Rosensteino Episcopo Olomucensi designato, item Missale diocestanum vulgavit.

Joannes Georgius Strzedovsky, Moravus Brumoviensis, Parochus Pavlovicensis, edidit Mercurium Moraviae memorabilium 1705. sacram Moraviae historiam 1710; & vitam V. Sarcandri 1712. (26)

L.

Laurentius Svetlerus, Canonicus Olomucensis, auxit Catalogum Episcoporum Olomucensium, an. 1605. uti & aliam cinnavit opellam, quæ in Msc. reperiuntur.

Lu-

(26) Est Author Catalogi, quem hic edimus, magno litteris moravicis damno morte immatura ereptus, qui Georgio Bartholomæo Sotinsky sponte cedenti in Parochia Pavlovicensi successit; Effigiem, vitam & scripta vide in P. III. pag. 128. Erud. Boh. & Morav.

*Ludovicus Felix, Moravus Cremsfrien-
Ordinis Convent. edidit Romæ scipionem S.
Francisci 1676.*

M.

S. Methodius, multa e græco in Slavonismum transtulit, obiit Romæ 910.

*Martinus Strepus, Moravus Oppavien-
sis (tunc enim Oppavensis Ducatus Mora-
viæ erat conjunctus) Gnesensis Archi-
Episcopus designatus, scripsit Chronicon,
obiit Bononiæ 1281. (27)*

*Melchior Pyrnensis, Decanus Olomu-
censis & Suffraganeus, continuavit Augi-
stini Käsenbrot Catalogum Episcoporum
Olomucensium, obiit 26. Jul. 1607.*

*Mathias Tanner S. I. existens Olomu-
cii descripsit mentem Oliveti ad Stramber-
gam, obiit 1667.*

*Martinus Wigsius, Zabrdovicii Profes-
sus, edidit historiam Kiriteinensem, obiit
1663.*

Mi-

(27) *Ducatum Oppavenum partem olim fuisse Mo-
raviæ, præter monumenta cetera, docet Jus
Municipale vetus Moraviæ, quod in Actis litter.
Bohem. & Mor. recensuit Adactus Voigt Vol.
I. pag. 38. quem Ottocarus II. in gratiam filii
a Moravia separavit; vide ejusdem Voigt Be-
schreibung der Böh. Münzen Tom. II. p.
76. N. 39.*

*Michael Sendivogus, Moravus, scripsit
tractat. de lapide Philosophorum impressum
1640.*

*Melchior Sün, Decanus Svitaviensis,
compilavit Ritualia Olomucensia, an. 1690.*

*Mathias Erythræus, vulgo Červenka,
Preroviæ Picardus Senior, scripsit historiam
de sua unione, obiit Preroviæ 13. Decemb.
1569.*

*Martinus Philadelphus, Oppavensis,
Pastor Lutheranus, edidit Postillam sui fer-
menti, obiit 9. Mart. 1592.*

*Michael Kirstenius, Moravus Bernensis,
sive Beronensis, Medicinæ Doctor, Ham-
burgi Gymnasii Physicus, multa edidit,
obiit an. 1678.*

*Mathias Hertod de Todtenfeldt, Mo-
ravus Nicolspurgensis, Medicinæ Doctor,
Imperatoris Leopoldi, Josephi, & Caroli
Medicus senior, edidit an. 1711. de Medi-
camentis Polychrestis duodenam.*

P.

*Petrus de Mladonovitz Moravus, D.
Wenceslai de Dubbe, & Lessna Notarius,
descripsit Joannis Huss processum, circa
an. 1415. (28) C*

(28) *Erat Petrus hic Rector Universitatis Praegen-
sis, ceu testatur Balbinus in Bohemia docta,
pag. 89. tum Decanus facultatis Theologicæ,
vide cit. Acta Lit. Boh. & Mor. Vol. I. p. 127.
& 340.*

Paulinus Zaczkovitz de Gdiazdov, Olomucii ad S. Jacobum Quardianus, conscripsit Olomucensium sub Sveco calamitates. (29)

Philippus Sebast. Philippides, Moravus Crémfriensis, edidit Iridem poetica, Pragæ 1662. impressam.

Paulus Redlich, Moravus Iglaviensis, Medicinae Doctor, edidit Triphyllum Poeticum, Pragæ 1670. impressum.

Paulus Kyrmezerus, Slavus, Pseudo Decanus Hunnobrodensis, Helveticæ confessionis, edidit librum contra Picardos. 1580.

Paulus Paliurus, Moravus Tischnoviensis, Picardita, versionem Bibliorum polonice curavit, & obiit an. 1632. 27. Novemb.

S.

Stanislaus Pavlovsky, Episcopus Olomucensis, edidit an. 1577. Comment. hist. obiit 1598. (30)

Sigismundus de Pisnitz, Canonicus Olomucensis & Pragensis, libris editis orbi notus.

Sa-

(29) Msc. Paulini de Svecica decennali occupatione Urbis Olomucensis multum rei historicæ inservit.

(30) Celeberrimus hic Antistes præter exantlaos multos pro Ecclesia & Republica labores, celebravit Synodum Diœcesanam Olomucii, quæ extat in Collectione Synod. & Stat. Olomuc. ab Arsenio Fasseau adornata.

Samuel Virga, Hussiticæ confessionis in Moravia Präco, multa sui fermenti scriptit, uti & tractatum de fulmine.

Sigismundus Pastorius, Eques de Hirtenberg, Episcopi Olomucensis Dapifer, & Nobilis Aulicus, edidit characterem virtutum.

T.

Thomas Jordan de Clausenburg, Medicinae Doctor, Moraviæ Physicus, edidit tractatum de aquis Moraviæ medicatis. 1580. (31)

Thomas Pessina de Czechorod, Episcopus Samandriensis, scripsit Moraviæ historiam. (32)

V.

Valerianus e Comitibus Magni, Ordinis Capucin. varia scripsit in Moravia. *

C 2

Va-

(31) Vide P. III. p. 20. Erudit. Bohem. & Mor. ubi ejusdem vita cum præfixa icona exhibetur.

(32) Rerum Moravicarum Scriptor facile princeps, cuius Moravographiam adhuc desideramus. Vitam & scripta vid. P. I. p. 25. Erudit. Boh. & Mor.

* In sua Philosophia quadripartita præxit Leibnizio in celebri doctrina de analyticæ notionum perspicuitate; vid. Acta Erud. Lips. 1684. & J. C. Ulrichs erster Umriss einer Anleitung zu den philosophischen Wissenschaften. J. H. Kammerl Anlage zur Architektonik §. 7. Monitum

Valentinus Gestrzabsky, Moravus; Bischesiensis ad Weverzi Parochus, vulgavit tractatum de Angelis an. 1699.

Wenceslaus Majetinsky, Moravus, Professor Wellehradenfis, edidit vitam S. Bernardi 1673, obiit 7. Sept. 1707.

Wenceslaus Ardensbach de Ardensdorff, Moravus, Phyficus, edidit Armamentarium Antilphicum imprellsum Olomucii 1679. & tractatum contra Tartaro - Mastigem, ac opus mirificum secta diei.

Wenceslaus Sturm, scripsit Olomucii dialogum fidei, & an. 1582. typis Litomilch. vulgavit. (33)

Wilhelmus Josephus Pusch de Grünvald, Zvitaviensis, vertit vitam V. Sarcandri, sive Rubum incombustum, latine a D. Biloysky editum, in metrum germanicum.

Mantissa.

Ballaus Alexander, Brunensis Jctus, Advocatus Provincialis; instructa insigni Bibliotheca, relictisque ad Jurisprudentialiam

addenda hujus notæ Karpio nostro debeo. Ceterum cum Valerianus litteris tantopere in patria nostra desudarit, locum omnino honorificum in opere Erudit. Boh. & Mor. quod continuatur, jure sibi postulare videtur.

(33) Lege sis Effigies, & vitarum enarrationes toutes laudatas Erudit. Boh. & Mor. P. III. pag. 56.

tiam & praxim Moravicam præclaris Mscptis inter Eruditos Bohemiæ & Moraviæ, quorum Effigies & vitarum enarrationes a D. Pelzel continuantur, proxime laudandus.

Boehmius Joh. Gottlob, Saxo, de litteris Moravicis ob editum Coment. de Augustino Moravo, & ejus patera aurea Dresdena adserata, præclare meritus; ex quo opusculo litteras in Moravia ad invidiam, dixero incitamentum vicinarum regionum floruisse evincitur. Laudat non immerito partum hunc Boehmii Aductus Voigt in Beschreibung der Böhmischen Münzen T. II. p. 328. N. 23.

Bolelucky Mathias, Cremfriensis, ab historicis Böhmiæ operibus notus.

Boskovitzius de Czerna hora; Heroes gentis Boskovitziæ apud Moravos quoniam clarissimæ, quæ passim litteras calluit, & fovit, celebrat Paprocky in Speculo Moraviæ fol. XL. & CIV. Cruger: in Sacr. Pulu. ad 12. Feb.

Bruno, Episcopus Olomucensis, e Comitibus de Schaumburg, Feudorum Olomucenium Auctor; claruit etiam litteris. Cruger: ad 18. Feb.

Bukuvka a Bukuvka Albertus Rohovlad, a Goldafto Magnus Moravus compellatus, ad quem datis an. 1601. crebrioribus litteris, quantum his addictus, & excultus esset, probavit. Chbra-

CKBRANICH Joannes, Civis Olomucensis,
ad cuius Chronicon Ms. provocat Fasseau
in præfat. ad Collect. Synodorum & Statut.
Olomuc.

DIVISCH Procopius, Canonicus Regul.
Præmonstr. Lucæ ad Znoymam, electricæ a-
bigendis tempestatisbus perticæ primus in-
ventor, effigie & promeritis laudibus in P.
III. Eruditorum Boh. & Mor. honoratus.

ENGELMANN Franciscus Ignatius, Civis
Olomucensis, cuius codicem memorabilium
manu descriptum possideo.

FASSEAU ARSENIUS THEODORUS, Canon,
Regul. Præmonstratenfis, Gallus, collegit
Synodos & Statuta Diœcesis Olomucenæ,
edidit Rezii 1766.

FREYENFELS Joan. Wenceslaus, Baro
Moravus, Episcopatus Olomucensis Suffra-
ganeus, Prælatus Archidiaconus, & Vica-
rius in Spiritualibus Generalis, ad extreham
usque senectam indefessus; plura documen-
ta litteraria, quæ partim edita sunt, partim
adhuc typum expectant, una cum sui desi-
derio reliquit, obiit anno superiore die 17.
Octob.

GELITO Petrus, Episcopus Olomucensis
doctissimus, ceu præter monumenta alia te-
statur Crugeri ad 13. Febr. obiit 1387.

JOANNES de Novo foro, Episcopus Olo-
mucensis, Caroli IV. Cancellarius, litteris

cla-

clarissimus, Petri Gelitonis antecessor, o-
biit 1380. vide Præf. ad P. II. Erudit. Boh.
& Mor.

JOANNES XIII. Episcopus Olomucensis,
dictus ferreus, ob eximias scientiæ dotes
Romana purpura decoratus, obiit 1430. de
utroque hoc Episcopo vide eruditissimam
præfat. Adaucti Voigt Parti II. Erud. Boh.
& Mor. præfixam.

KRAVARZ Paulus, Baro Moravus, Do-
ctorum consortio adlectus an. 1416. vide
Balbin Bohemia docta pag. 75. Effigies E-
rudit. Boh. & Mor. P. II. præf. de Nobili-
tate docta in Bohemia & Moravia.

KRZIZIANOVSKY Wenceslaus, Moravus
Krzizianoviensis, seculi XV. Theologus
celeberrimus; vide Hilarii disput. cum
Joanne Rokyczana coram Georgio habita
edit. an. 1775. Voigt. Acta liter. p. 127.
Balbin Boh. Doc. p. 91. Cruger ad 5. Feb.

MEDEK Martinus, Archi Episcopus Pra-
gensis, patria Moravus Miglitzensis, Mi-
glitzio aut Mohelnicio oppido circuli Olo-
mucensis, virtute & litteris ad infulas pro-
motus; obiit 2. Febr. 1590. Vide Cruger
ad 2. Feb. Schmidl Historia Societatis Jesu
Provinciæ Bohem. P. I. p. 452. & 594.

MIGLITIUS Antonius, Archi Episcopus
Pragensis, Miglitzio oppido eodem Mora-
via oriundus, Imperatoris Ferdinandi in

Concilio Tridentino Orator, a patrio solo
Miglitius dictus, ob singularem scientia
laudem variis Infulis ornatus, obiit an.
1560. vide Schmidl cit. loc. & Cruger ad
12. Januar.

Mezon Joannes, Episcopus Olomucen-
sis, Moravus Telczenfis, disciplinis Philo-
sophicis, Juridicis ac Theologicis excul-
tissimus, obiit 1578. vide Cruger. ad 6. Feb.

Nicolaus de Geviczka, ex illustri apud
Moravos Equitum stirpe, alias dictus de
Moravia, Geviczko enim Moraviæ oppidum
est; unus inter primos Collegii Carolini
Professores, qui ex Academia Parisina pro-
diere; an. 1369. Decanus facultatis artium,
& magnus Praga litteratum Promotor. Vi-
de Adaucti Voigt Hift. Universit. Prag. §. VI.
N. 45. & XX. Balbini Bohemia docta pag.
69. & 72.

Olfchansky Thomas, Abbas Gradicen-
sis Ordinis Præmonstr. a scientia minime
vulgari laudatus a Crugerio ad 30. April.
obiit 1666.

Paulus Moravus, Litoviensis, in quo
Paschalis II. P. R. Sacrorum Canonum tan-
tam peritiam deprehenderat, quantam Epis-
copi pauci haberent, quem ideo Cardin-
alium Collegio adlegit; obiit an. 1114. Cru-
ger ad 9. April.

Partlicius Simeon, Moravus Trischen-
sis, sermone patro ~~Etijest~~, cuius Effigiem

& vitam vide P. III. p. 150. Erudit. Boh.
& Moravia a Pelzelio concinnatam.

Petrusch Josephus, Baro, Societatem
Olomucii litterariam in Provinciis Austria-
cis primam instituit; vitam exhibit cit. P.
III. p. 185. Effigierum & vitarum Erudit.
Boh. & Mor.

Paprocky Bartholomæus, Eques de Glo-
gol, a scriptis historicis notus, & de litte-
ris nostris ob editum Speculum Incliti Mar-
chionatus Moraviae præclare meritus.

Piter Bonaventura, Monasterii Rayhra-
densis Ord. S. Benedicti in Moravia Præ-
positus, cuius Effigies, & vitæ enarratio
inter Erudit. Bohemiæ & Moraviae a D. Pel-
zel, qui opus hoc continuat, exhibebitur.

Stephanus Carthusianus Prior, de quo
Voigt in Actis Litter. Boh. & Mor. Vol.
I. p. 246. *Stephanus Caroli IV. Cancellarius*,
postea *Cartbusiae Vallis Josaphat in Dolan*,
quæ inde *Olomucium translata est*, Prior,
fortissimus Husii impugnator, qui obiit anno
1421. cuius scripta a nobis alias recensenda
editit Pezus.

Stanislaus de Znoyma, invictus itidem,
testante Balbino in Bohemia docta pag. 70.
fidei defensor, & accusator Husii in Con-
cilio Constantiensi; Vice Cancellarius erat
Universitatis Pragensis & Decanus, ut ostendit
Voigt in Hift. Universitatis XVIII. &
XX.

Simon de Tischnov, oppido Moraviæ, Decanus itidem facult. Artium Universitatis Pragensis; cuius lucubrationes se in alio loco retulisse testatur Balbinus in cit. Bohemia docta p. 70. & 79. vide Voigt Hist. Univ. Pragensis XVII. & XX.

Stiborius Andreas, Canonicus Olomucensis, erudita illa Turzonis, Augustini Olomucensis, Hassensteinii, & Joannis Schlechta de Wschehrd ætate litteris Moraviam illustravit, de quo Ursinus Velejus in poem.

*Stiborius, nemo hoc naturæ occulta tenebat,
Aut cœli tractus, melius.*

Vide Boehmii Coment. de Augustino Olo-
mucensi pag. 14. seq.

Turzo Stanislaus, Episcopus Olomucen-
sis. Aurea sub hoc Pontifice litterarum
ætas in Moravia, scriptorum eruditissimo-
rum feracissima, quibus & hodie, si omnia
extarent, deferendum esse, ingenue fate-
tur Voigt in *Beschreibung der Böhmisches
Münzen* T. II, p. 328. N. 23. Laudatorem,
referente Boehmio, in cit. Comment. nactus
est, inter alios, Johannem Dantiscum, at-
que Erasmus Roterodamum duo litterarum
lucidissima sidera. Felicem scientiarum sta-
tum Olomucii, promovente eas Turzone,
ex iis colligere licet, quæ sepe cit. Boeh-
mius de Augustino Olomucii nato scribit:

bo-

*bonestissimis parentibus, quorum in sinu, tan-
quam in nutricatu Magiarum, educatus, ab
infantia optimis artibus scientiisque perdis-
cendis adspiceret. -- Itaque inter haec natus,
institutusque Augustinus, non potuit animum
a pueritia humanitatis & litterarum doctri-
na minus imbuere, quam, qui in sole ambu-
lant, colorari; Argumentum veritatis ab
homine extraneo & teste minime suscep-
to profectum. Rexit Ecclesiam Moravicam
ab anno 1497. usque 1540. per annos qua-
tuor & quadraginta, quo nemo Präfulum
sedidit diutius. Fausto hoc doctissimi Anti-
stitis ævo sodalitum in Moravia cœpit Eru-
ditorum, quod ex patera Augustini aurea
probat Boehmius cit. Comment. p. 97. Ita-
que alii, paulo curatius subductis rationibus,
sodalitatem litterariam interpretati sunt, nec
omnino potest primus tituli versus*

*Phoebigenum sacrata cohors, & mysticus
ordo.*

*luculentius explicari, quam de litteraria
sodalitate -- extra dubitationem positum re-
or, tali litterariæ sodalitati Augustinum pa-
teram consecrassæ; quæ ex Moravis potissi-
mum & Bohemis constabat, admisisse forte
etiam exteris. Primam in Provinciis Au-
striacis societatem litterariam Olomucii an.
1747. curante Petraschio ortam fuisse, pro-
fitetur Pelzelius in P. III. Erudit. Boh. &
Mor.*

Mor. pag. 188. cui calculum adjecit Editor Austriae Eruditæ in præf. n. 6. Ast altius usque ad Turzonem & Augustinum ascendum esse ex dictis abunde patet, ut adeo origo cætuum litterariorum in Germania Moravia sit attribuenda; Vetus & certissimum documentum, quanta litteræ Magnatum favore capiant incrementa. Obiit gloriosus hic Musarum Moravicarum pares 1540. die 17. April. Effigie, & honorifica vitæ enarratione inter Erudit. Boh. & Mor. a Pelzelio proxime honorandus. Ad. Cruger. ad 17. April. & Paprocky Spec. Mor. fol. CLXXXII.

Ullmann Marianus, Canon. Regul. Prämonstr. Gradicensis, edidit *Ait und Neu Mähren* Tom. I. in fol. ante T. II. evulgationem an. 1765. obiit.

Wanke Bernardus, Abbas Gradicensis, cuius effigiem cum vitæ enarratione in continuatione Boh. & Mor. præstolamur.

Zierotin de Bernardus, Dominus Mezericii, inter Rectores Universitatis Pragensis an. 1614. numeratur; vide Balbin Bohemia docta pag. 69. Voigt P. II. Erudit. Boh. & Mor. præf. VII.

Zierotin Carolus, L. B. Moraviae Capitaneus, cuius effigies & vitæ descriptio sifstitur in P. II. Erudit. Boh. & Mor. p. 36.

Ziegelbaur Magnoaldus, Benedictinus,

Sa-

Sacri Olomucii nondum typis editi scriptor, vide Fasseau præf. in Coll. Synod. & Statut. Diœc. Olomuc.

Zvole Conradus, Baro, Episcopus Olo-
mucensis, Juris Pontificii gnarissimus, &
prius Rotæ Rom. Auditor, obiit 1433. Vide
Strzedovsky Mercur. p. 98. & Voigt
præf. ad P. II. Erud. Boh. & Mor.

Superstites Moravi, *Consortes, aut de litteris Moravicis bene meriti, in Lexico Eruditorum Austriae partim jam laudati, & laudandi, qui scriptis innotuerunt.*

Auersperg Joannes, S. R. I. Comes, Ca-
nonicus Olomucensis.

Benedictini Reyhradenses.

Buol Joannes, L. B. Canonicus Olomu-
censis.

Butschek Josephus, Professor scientia-
rum Politicarum in Universitate Pragensi.

Demel Joannes, Can. Regul. Latera-
nensis ad Omnes SS. Olomucii.

Dobner Gelasius, Scholarum Piarum
Rector Pragæ.

Dürnbacher Joannes, Professor Physi-
cæ in Universitate Olomucensi.

Fritsch Bernardinus, e Scholis Piis Ni-
colspurgi.

Hay de Joannes, Praepositus Insulatus
Nicolspurgi.

Jan-

Janko Ambrosius, Canon. Regul. Prämonstr. Lucensis.

Karpe Franc. Samuel, Philosophiae Professor in Universitate Olomucensi, & Facultatis Philosophicæ Director.

Koprziva Petrus, Ordinis Eremit. S. Augustini Brunæ.

Kralovetzky Quirinus, e Scholis Piis, Praefectus Episcopalis Bibliothecæ Cremfiri.

Kristelli Jacobus, Canon. Regul. Lateranensis ad Omnes SS. Olomucii.

Marave Michael, Canon. Regul. Prämonstr. Zabrdovicenfis.

Mauschberger Leopoldus, antea Regens Convictus Olomucenfis.

Pelzel Franciscus, juniorum Comitum de Noftitz & Rinek Ephorus Pragæ.

Reidinger Joan. Gualbertus, Ordinis S. Dominici, Theologiæ dogmaticæ in Universitat. Olom. Professor.

Ruziczka Evermodus, Canon. Regul. Präm. Gradicensis, in Universitate Olom. Theologiæ Professor emeritus.

Schmidt Stephanus, Professor Mathefeos in Universitate Olomucensi.

Schultz Leopoldus, in Universitate Olomucensi scientiarum politicarum Professor.

Sonnenfels de Josephus, in Universitate

te Viennensi scientiarum, præsertim politicarum Architectus & Professor, seculi & litterarum decus. Moraviæ vindicandus, ne de tanti viri patria, ceu olim de Homer inter Græciæ civitates, post fata supersit dimicatio. Vid. Cic. pro Archia VIII. Gell. Noct. Att. L. III. C. II.

Slaviczek Thadæus, Canon. Regul. Lateralen. ad Omnes SS. Olomucii Praepositus Infulatus, supremus Studiorum Director.

Voigt Adauctus, e Scholis Piis, in Universitate Viennensi historiæ universalis Professor.

Waczlavik Paulus, Abbas Gradicensis.

Wolff Josephus, Medicinæ Doctor Olo- mucii.

Zebnmark Ludovicus, in Universitate Olomucensi Historiæ litterariæ Professor.

Apographa Moravica.

Sive

Copiæ variarum litterarum, tum sacrarum, tum profanarum legum, præceptorum, privilegiorum, Juri, Imunitatum, litium, feudorum, contractuum, fæderum, testamentorum, fundationum, legatorum, aliarumque rerum ad inclytum Marchionatum Moraviæ spectantium, pluribus voluminibus comprehensa.

Volumen I. sive LIBER ECCLESIAS-TICUS, complectitur Episcopatus Olomu- ceni-

censis Jura, ac privilegia, Ecclesiarum Moravicarum immunitates, Altarium dotationes, fundationum erectiones, Collegiorum, ac Monasteriorum exemptiones, ac denique alias diversas ad loca Deo dicata spectantes litteras, tum sacras tum profanas.

Volumen II. five LIBER PAROCHIALIS, complectitur omnium per Moraviæ Dioecesim Decanatum, ac Parochiarum Cudatorumque in suo ordine Syllabum, veterem Olomucensem Synodum, varia Episcoporum Olomucensium statuta, Confistorii ac Vicariorum Episcopaliū Decreta, non solum ad curam animalium spectantia, verum & rei historicæ non parvum lumen datura.

Volumen III. five LIBER PROVINCIALIS, complectitur vetera Moraviæ jura, Patriæ consuetudines, publica pacta, causarum provincialium transactiones, ac varias pro temporum ac rerum ratione constitutiones regias.

Volumen IV. five LIBER DIÆTALIS, complectitur Provincialium Comitiorum statuta, Diætalia conclusa, publicorum conventuum placita, ex sententia Regum ac Cæsarum, Inclytorumque quatuor Moraviæ Staruum communibus votis emanata.

Volumen V. five LIBER FEVDALIS, complectitur jura fevdalia, quorum tenore

reguntur Episcopatus Olomucensis Vassali, varias in foro illo agitatas lites, latae in Judiciis feudalibus ab Episcopis & Judicibus sententias, datas in rebus dubiis Instrumentiones, & alia plura, quæ exhibent Episcopaliū fevdorum, horumque Jurium rationes.

Volumen VI. five LIBER MUNICIPALIS, complectitur Moravicarum Civitatum, & Oppidorum privilegia, Immunitates, Jura, consuetudines, Principum Dominorumque leges, & boni Regininis, atque rerum gerendarum in Communitatibus Regulas.

Volumen VII. five LIBER OPPAVIENSIS, complectitur Ducatus Oppavensis (qui a præcis copulatus erat Moraviæ) Jurium ac privilegiorum transumpta, Confoederations, immunitates, pacta, & locorum in hoc ducatu facrorum fundationales litteras, aliaque litteraria monumenta, discutendæ quæstioni illi, olim admodum inter statutus solenni, num hic Ducatus ad Moraviam, vel spectet ad Silesiam, multum claritatis allatura.

Volumen VIII. five LIBER PARTICULARIS, complectitur diversarum personarum conventiones, sponsalium instrumenta, emptionis & venditionis litteras, datas Creditoribus Apochas, supremæ voluntatis elogia, pagorum & plebejorum immunitates,

litium pacificationes, arbitrorum delectorum edicta, & his similia, miscellaneaque plurima.

Volumen IX. sive LIBER LITIUM, complectitur devolutas in Judicium Provinciale Nobilitatis lites, latas desuper Judicum sententias, partium per Juramenta purgationes, diversa communi statuum asserentia edicta, & alia plura olim in Dicasteriis agitata.

Volumen X. sive LIBER FRAGMENTORUM, complectitur varia memoriarum Moravicarum collectanea, e diversis locis, manuscriptis, notatis hinc inde, ceu fragmenta quædam, ne pereant, in unum congregata, quæ etiam minutæ ad rem facere poterunt, Historiæ Moraviciæ Architecto.

Omnia hæc in nominata volumina Historici Florilegii gratia, e diversis manuscriptis, partim Originalibus, partim Apographis laboriose & impendiose collata a Joanne Georgio Ignatio Strzedovsky Pavlovicij supra fluvium Becczvam

Parocho ab anno 1709.

Brevis Appendicula Manuscriptorum Moraviam concernentium, additis eorum possessoribus, ex indice Pelzeliano desumpta.

In Biblioteca Excell. Com. a Waldstein Episcopi Litomericensis.

Acta berrefend das Kloster Sternberg in Mähren.

Acta

Acta berrefend das Kloster Maria Kron in Mähren

In Biblioteca Illum. Com. Czernin.

Weypis Swobod Markgräfti Moraviae steho.

In Bibl. Metropol. Eccl. Pragensis.

Status Ecclesiastici in Moravia ad Ferdinandum II. pro restitutione dignitatis supplicatio.

In Bibl. Clementina Pragensi.

Jura Iglaviensia.

Joannis de Novo foro Cancellaria Caroli IV.

Querela Statuum Moravskych.

Joannis de Novo foro Cancellaria Olomucensis Officii.

In Bibl. Cl. D. Putzlacher Prague.

Confiscations oder Cride Prothocoll des Markgrafthums Mähren ic. von 1621. quod etiam in mea penu libraria possideo.

In Bibl. Cl. D. Gelasii Dobner.

Pameti Buděgowic Moravskych.

Pameti Brodu Uhersteho.

Jura Iglaviensia.

Imperatoris litteræ pro Marchionatu Moraviæ.

Documenta Moraviam concernentia.

Litteræ a Statibus Moraviæ ad Cæsaream Majestatem.

De

De Joanne Sacerdote Pragensi Concio-natore. *Concionatorem hunc Joannem Mi-litium Cremstiensem esse suspicor, de quo vi-de superius inter Scriptores a Strzedovskio adnotatos.*

In Bibl. Cl. D. Pubitschka.

Historia Monasterii Gradicensis.

In Bibl. D. Scherschnik.

Origines Academiæ Olomucensis.

De manuscriptis, quæ in manibus no-strorum in Moravia versantur; occasione alia.

A. M. D. G.



POSITIONES
EX
JURE PUBLICO
UNIVERSALI

QUAS
DEFENDENDAS SUSCEPIT

Per illustris, ac Eruditiss. Dominus

JOANNES ADAMETZ
EQUES DE DAMBROVKA

ET

ADAMOVITZ

SILESIUS OPPOLIENSIS

AA. LL. & Philosophia Baccalaureus,

E COLLEGIO CÆSAREO-REGIO AU-GUST. IMPER. FERDINANDI II.
ALUMNUS LIBER.

IN
MAGNA AULA ACADEMICA
ALMAE CÆSAREÆ REGIÆ, AC EPI-
SCOPALIS UNIVERSITATIS
OLOMUCENSIS

Anno M. DCC. LXXVII. Mense Junio Die

OLOMUCII MORAVORUM,
TYPIS JOSEPHÆ HIRNLIANÆ, FACTORE
JOSEPHO FRANCISCO LOSERTH.

ILLUSTRISSIMO
DOMINO DOMINO
C A R O L O
S. R. I. COMITI
DE VILLE,
SACRÆ CÆSAREO-REGIÆ
ET
APOSTOLICÆ MAJESTATIS
C O N S I L I A R I O ,
ET
CAMERARIO;
INCLYTI REGII GUBERNII
ASSESSORI,
CONVICTUS & COLLEGII NOBILIJM
OLOMUCENSIS
NEC NON
SCHOLARUM HUMANIORUM, & GER-
MANICARUM PER MARCHIONATUM
MORAVIÆ
S U P R E M O M O D E R A T O R I ,
ET
ARBITRO.

ILLUSTRISSE DOMINE COMES!

Quam disertissimus Livii
æmulus, de Francisco
I. Lutetiæ Academiam
restauraturo, tulit sententiam,
*eos litteras fovere, qui digna litteris ge-
runt*, * hanc sane orbis univer-
si probavit judicium.

Cujus quidem sententiæ
usu, multa de TE ILLUS-
TRISSIME COMES litteris
mandari, & a me referri pos-
sent, nisi gravis modestia TUA,
quam exercere piaculum est,
prohiberet.

At

At verendum forte, ne con-
temptu famæ virtutes ipse con-
temnantur. Verum suspicio
obsequiosæ grassationis, invita
licet etiam, quemadmodum in-
tegritati TUÆ inimica est, ita
mihi indecora.

Officii tamen rationem ha-
bendam, dum leges præcipi-
unt, omnem temeritatis la-
bem me declinaturum confido,
quum, pro ingentibus illis cu-
ris, quibus me reddidisti me-
liorem, & indies perficere non
cessas, nuncupatis ILLUS-
TRISSIMO NOMINI TUO
meis ex Jure Publico Univer-
sali Positionibus, gratum ani-
mum

* Fam. Strada de Bel. Belg. L. III. p. 66.

mum palam, reverenterque
profiteor.

Accipe igitur qualem qua-
lem hunc diligentiaæ meæ fa-
tum, qui provida & vigili in-
stitutione TUA succrevit, me-
que eo favore, quo bonas lit-
teras prosequeris, dignum ef-
fice

ILLUSTRISSIMI NOMINIS TUI

Cultorem devotissimum
JOANNEM ADAMETZ,
Equ. de Dambrovka, &
Adamovitz.

POSITIONES

EX

JURE PUBLICO UNIVERSALI.

I.

Civitas, quæ est cætus hominum sui juris sub com-
muni Imperio securitatis causa colligatus, con-
stituitur *mixto pacto conjunctionis & subjectionis ci-
viles*.

II.

Posita preinde civitate ponitur Majestas, cuius
principium existendi *proximum & immediatum*
in pacto antea præmisso, *remotum* vero in ipsa Dei
voluntate colloccamus.

III.

Ad Majestatis attributa spectat, ut sit summa, in-
dependens, una, universalis, individua, & in
quavis civitate æqualis, nec minus sancta & invio-
bilis.

IV.

Cui ob diversam civitatis formam, aut varium ha-
bendi modum, aliave potentia physica admi-
nicula haud quidquam derogatur, neque ob nexum
feudalem, annuum tributum, aut fædus inæquale
minuitur.

V.

Cives subditi tenentur ad præstandam Imperanti obe-
dientiam, reverentiam, & fidelitatem, obligatione
perfecta, *internâ seu in conscientia, & externâ;* unde
legis mere *penalis rejiciendum,*

VI.

VI.

Ab hac obligatione a potestate sua in hac terra
invita Imperantie absolvit non possunt.

VII.

Hinc etiam reus in civitate a Judice de criminis
perpetrato rogatus, id clare facti tenetur in
conscientia, nec eidem sermone colorato, aut am-
biguo sub praetextu defensionis uti licet.

VIII.

Quemadmodum Majestas cum civitate, et Iura
Majestatica cum Majestate individuali nexo co-
haerent, ad quae etiam spectat jus circa Iacobum,
cujus species sunt: *Placatum Regium*, jus dandi
Exclusivam ministris religionis, jus item condendi
legem *amortizationis* exigente *Reipublica Italiæ &c.*

IX.

Monarcha temporariorum, qui regnum *Æsymneum*
cum possidet, gaudet Majestate.

X.

Non sarem Tutor Regius, aut Vicarios Regum,
multo minus illos, quibus exercitium quorum
dam Iurium majestaticorum est remissum.

XI.

Quem potestas Imperantia in toto territorio sic
fundata, & ad finem civitatis obtainendum
rendat, recte inde conficitur legibus civilibus etiam
Clericos obstringi.

XII.

Potestas confundi leges civiles soli Imperantia cor-
perit, quarum necessitas & utilitas in qualitate
civitatis est maxima.

27023